



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola II. S. Ignatio Romam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

10 S.FRANCISCI XAVERII
rosa corda desiderant. Sic vovebam

Lutetiæ Parisiorum viii.kal. Aprilis.

Anni nota non exprimitur in Archetypo.
Sed cum aliunde certissimum sit S. Ignatium
ivisse Parisijs in Hispaniam anno 1535. non
est dubium quin hæc Epistola ei ad istud iter pro-
cincto data, scripta fuerit illo ipso anno Chri-
sti CICXXXV.

Addictissimus Tibi Servus & Frater minor
Franciscus de Xavier.

EPISTOLA II.

S. IGNATIO ROMAM

Gratia & Amor Christi Domini nostri adsit sem-
per nobis auxilio & favore. Amen.

De Sancto Paschæ accepi literas à Te:
perlatas in fasce ad Dominum Lega-
tum misso, & cum ijs tantum gaudij ac con-
solationis, quantum non exrimo; Deus Do-
minus noster scit. In hac deinceps vita non
aliter credo, quam per literas congrediemur;
in altera facie ad faciem cum multis amplexi-
bus. Supereft igitur ut hoc exiguo nobis reli-
quo tempore mortalis Exilij, crebris inuicem,

Epi-



NOVARVM EPIST. Lib. I. II

Epistolis consolemur . Evidem desiderari
hac in parte meam diligentiam non sinam .
Persuasus enim illo tuo , quo me digredien-
tem monuisti , sapienti dicto : Colonias Me-
tropolibus , ut Filias Matribus , usu mutua
notitiae connecti oportere : planè decrevi dare
operam , ut & Ego , & quæcumque umquam
ubivis terrarum mecum erit nostræ Societatis
Pars , Tibi ac Societati Romanæ nunciorum
atque officiorum commercio iungamur ; sic-
que ad vos cuncta nostra minutæ ac distinctæ
referamus , vt Filiolæ solent , cum Matribus
rationem reddunt . Egi per otium & ex ani-
mi mei sententiâ cum D. Cardinali Invrea ,
prout ea de re scriptum mihi mandatum de-
deras . Excepit me humanissimè , offerens
perofciosè favorem nobis suum in omnibus
quæ suæ potestatis forent . Bonus senex cum
ab eo discederem amplexatus est me , osculan-
tem manus eius . In medio eius quem cum
illo habui sermonis abieci me in genua , &
nomine totius Societatis osculatus ei sum ma-
nus . Quantum ex ijs quæ mihi respondit in-
telligo , multum ille probat nostrum proce-
dendi modum . Dominus Legatus me tot of-
ficijs cumulat , vt nunquam finis sit si enum-
rare velim . nec scio quomodo inducere pos-
sem



12 S.FRANCISCI XAVERII

sem in animum illa admittere , nisi cogitarem , & quasi pro certo haberem , mihi ista apud Indos nihilo minore pretio quam vitâ ipsâ rependenda . In Templo Dominæ Nostræ Laureti, Dominicâ Palmarum,excepi eius Confessionem , & ei Sacram Eucharistiam ministravi . Idem præstigi multis ex eius Domo. Feci Sacrum in Sacello Dominæ Nostræ , & Bonus Legatus egit, vt secum Sacram Communionem preciperent intra Sanctam illam Academ omnes sui Domestici . Postea die Paschæ iterum confitenti absolutionem , & confessio Christi corpus impertij ; itemque alijs ex eius familiâ probis viris & religioni deditis . Sacerdos familiaris Domini Legati multum se istic commendat orationibus vestrûm omnium. is mihi spopondit , se iturum Nobiscum in Indias . Fac salutes à me Dominam Faustinam Ancolinam ; & dicas illi , nisi grave est : fecisse me unum sacrum pro suo & meo Vincentio , & cras aliud oblaturum pro ipsa . Præterea, certò sibi persuadeat , me numquam ipsius obliturum : ne tum quidem cum ero in Indijs . Meo quoque nomine revoca , quæso , in memoriam D. Petro, Fratri meo carissimo , ut quemadmodum mihi promisit cōfessurum se peccata , & Sacram Eucharistiam perceperum



NOVARVM EPIST.Lib.I. 13

pturum, sic faciat; meque literis certior rem reddat, an id, & quoties, præstiterit. Quod si velit gratificari Vincentio suo & meo; dic ei meo nomine, ut ignoscat illis qui occiderunt eius filium; quandoquidem pro illis Vincentius multum orat in cælo. Hic Bononiæ plus occupationis habeo in audiendis Confessionibus, quam nuper isthic in S. Ludovici. Omnes impensè saluto. quod singillatim quemque ac nominatim non memoro, non est (mihi credant verè loquenti) oblivionis culpa. Bononiâ pridie Kal. Aprilis An. MDXL.

Vester in Christo Frater & servus

Franciscus.

E P I S T O L A III.

E I D E M .

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri Adst
semper nobis auxilio & favore Amen.*

Multa & continua Christi Domini Nostri beneficia experti sumus toto itinere,
quo

